

**Index operis sociorum. (Numeri pag. indicant.)**

I. *Discipuli*: M. Balázs 55. St. Banó 16, 110, 128. N. Berger 74. Th. Bruck 54, 110, 150. St. Csics 32. C. Eteley 111. M. Fajsek 19, 102. M. Farkas 94, 103. Eug. Fenyőházi 155. C. Gáldy 111. A. Gellért 64. 151. L. Gonda 141. Ae. Gurszky 73. O. Hámos 62. J. Harsányi 79, 112. D. Hernády 11. Fr. Hirsch 150. J. Horváth 48, 74, 96. St. Imre 32. L. Javorik 96, 112. M. Jöború 54, 94, 111, 139. A. Kajdacsy 62. J. Kaptay 94. L. Kassa 144. Eu. Keller 30, 72. A. Kertész 33, 102. L. Kiss 112. J. Klein 48, 96, 159. E. Kolma 94. V. Kósa 10, 21, 41, 48, 62, 64, 68, 74, 90, 122, 139. M. Kramer 30. Eu. Magurányi 32. Fr. Marossy 16. Th. Mattyasovszky 72. B. Medveczky 79. Fr. Miederer 16. L. Mihálcik 72, 94, 135. An. Mihályfi 54. M. Moiret 37. Thea v. Oosten 154. E. Parlagh 37. D. Pataky 137. A. Pusztai 91, 122. S. Rácz 117. P. Resofszy 54. P. Sárközy 150. C. Schubauer 62. A. Selyesby 142. Fr. Solc 144, 159. T. Szelecsényi 118. N. Szomolányi 128. J. Takács 142. D. Tamás 48. Michael Tamedly 39. J. Törs 72. Andr. Uskert 159. R. Vajda 111. L. Wagner 111. G. Weisz 30. J. Wolkóber 128. A. Zsitvay 79, 95.

II. *Professores et alii*: Car. Ács 7, 19, 31, 39, 43, 51, 66, 81, 95, 105, 114, 132, 151. J. Bapt. Bellissima 57. Guil Boros 12, 95. Frid. Brisits 2. Adalb. Danczer 41, 73. Cuno Evetovich 24. Paulus Farkas 62, 64, 79, 96, 142, 144. Steph. Farkas 21, 120. Val. Fehér 14, 31, 45, 63, 76, 79, 91, 103, 124, 137, 157. Eug. Fray 84. Alad. Friml 4, 5. Vinc. Gombár 20, 42. Fel. Gondán 72, 142. Ios. Guelmino 3, 6, 29, 38, 55, 70, 86, 107, 118, 142, 156. Theod. Innitzer 17. Ios. Irsik 12, 22, 30, 36, 60, 75, 110, 148. Gerg. Kaul 34, 100, 116. Dion. Kövendi 7, 13, 23, 42, 69, 92, 124, 129. Aem. Láng 9, 24, 35, 49, 68, 74, 87, 98, 126, 135, 145. Georg Lurz 40. Lad. Magyar 97, 115, 149. Lud. Meskó 45. Frid. Orlovski 60. Dr. Philips (Saxo) 83, 133. Otto Schmied 131, 141, 144, 159. Alex. Simon 55. Soror Christiana 126. Mich. Tamedly 39. Ios. Wagner 1, 10, 65, 128.

**Index rerum ann. XX. (1--10.)**

*Aenigmata*: 16, 32, 47, 63, 79, 95, 111, 127, 144, 159. *Aëronautica*: 13, 60, 94, 157. *Alloquia sociis et lectoribus*: Ad certamen lectores invitantur. 4. *Commercium litterarum*. 5, 154. Ineunte anno 1936. 65. De lingua Latina reviviscenti 97. *Quomodo Slovacus cum Germano confabuletur* 39. *Arena Iuventutis*: De vita Clementis Mikes 11. *Adventus Suae Eminentiae Cardinalis Theodori Innitzer* 19. De visione S. Angelae 37. *Dies natalis Christi*. Quam diu quis sustineat. *Limus pecuniã venditur* 54. Swift. *Cursus certamen per manus* 74. *Matthias rex* 117. *Ultima ratio regis*. *Bubula assa contra decretationem edendi* 150. *Auctores antiqui*: *Colu mella*: De re rustica IX. 8. De comparandis apibus et quemadmodum silvestria examina capiantur. 132, 151. — *Lucianus*: *Philopseudes* 33—36. *Artis magicae alumnus* (*Der Zauberlehrling*). — *Sanctum Iesu Christi Evangelium secundum Matthaeum*. 28. *Resurrectio*. *Carmina*: O beata mater 12. — *Ad Hungaros* 21. — *Al. Petöfi*: Sub exitu Septembris. 30. — *Frutex ad tempestatem* 55. — *Al. Szentmikulósy*: *Epigramata* 36. — *M. Vitkovits*: *Epigramma* 75. — *Goethe*: *Rosula pratensis* (*Eckstein*) 76. — *Ad Sanctum Stephanum* 45. — *Nox mira* 54. — *Patria mea* 74. — *Dan. Berzsenyi*: *Epigramma ad Napoleontem* 95, *Ad*

Budapestini, ex officina consortii Stephanei. — *Negotiorum curator*: Fr. Kohl iun.



LATIN IFJÚSÁGI FOLYÓIRAT. LATEINISCHE JUGENDZEITSCHRIFT. REVUE LATINE DE LA JEUNESSE.

Administrator, ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER RÖSÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel: 1-422-15). Moderator, ad quem manuscripta mittantur: I. WAGNER DR. Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 2-686-34).

Prodit Budapestini quotannis decies. Pretium subnotationis an. 1936—37. in Hungaria 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Gyrus aerarii comparsorum postalis in Hungaria: 57.292, in Austria: A—37.880. Subnotatores earum gentium, unde simplex pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum s quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur



**Olympia Berolinensia.**

Scriptis Franciscus Mezö, Latine vertit Carolus Ács.

Olympia Berolinensia in historia Olympiorum novam declarant progressionem,<sup>1</sup> siquidem<sup>2</sup> 53 nationes ex omnibus orbis terrarum partibus filios suos, ut in certaminibus generosis viribus ac sollertia<sup>3</sup> inter se contenderent, ablegaverunt.<sup>4</sup> Populus autem Germanicus, cui ludorum Olympicorum cura et editio<sup>5</sup>

obtigerat,<sup>6</sup> nihil non<sup>7</sup> fecit,<sup>7</sup> ut ludi prospere succederent. Etenim ad 100.000 milia marca-

<sup>1</sup> haladás = Fortschritt = progrès <sup>2</sup> hiszen = ja = puisque <sup>3</sup> ügyesség = Gewandheit = habileté <sup>4</sup> elküld = entsenden = envoyer <sup>5</sup> rendezés = Veranstaltung = organisation <sup>6</sup> jutott = zufiel = échoir <sup>7</sup> minden áldozatot meghozott = alle Opfer brachte = faire tout son possible



1. Harangi oculo vulneratus primatum pugilationis tulit. 2. Csik. (4.) et Yusa (3.) cértant. 3. Wayne de turri in aquam se dei cit.



rum in condendum vicum Olympicum, in stadium remigationis constituendum, in campum<sup>8</sup> gymnicorum<sup>8</sup> imperii<sup>8</sup> efficiendum et in vias commeatus<sup>9</sup> ex omnibus locis urbis huc ferentes erogavit.<sup>10</sup> Verum haec impensae non frustra erant, ex omnibus enim partibus stadii centum milibus spectatorum exstructi cerni poterant ludi, stadium undique celeriter adibatur finitisque certaminibus spectatores facile et sine mora abscedebant. Sollemnia eiusdem temporis in honorem conventus socialis — quibus victores certaminum pristinorum in curia<sup>11</sup> lautissime excepti sunt — subdiales<sup>12</sup> et alii sollemnes ludi<sup>12</sup>, symphoniae<sup>13</sup> grandissimae, opera et artificia palam ad spectandum exposita haud minimum ad nitorem Olympiorum attulerunt. Quibus apparatus pares accesserunt successus.

Owens, Americanus ille Nigrita<sup>14</sup> erat Olympiorum lumen candidissimum, tribus enim numeris (cursu 400 et 200 m., eminus<sup>15</sup> saliendo)<sup>15</sup> cum summis successibus (10·2, 20·7 sec., 8·06 m. olympicus cumulus) vicit. Eiusdem celeritas in cursu successivo<sup>15</sup> etiam catervam patriam (4 × 100 m) in adipiscendo singulari cumulo mundano (8 min. 51·5 sec.) adiuvit. In aqua Iaponiorum natatores successivi (4 × 200 m.) natando cumulum<sup>17</sup> mundanum<sup>17</sup> (8 min., 51·5 sec.), quem fore ut quis assequatur, pro incredibili habetur, sibi pepererunt. Item cumulum mundanum consecuti sunt Towns Americanus cursu per crates<sup>18</sup> 100 m. (14·1 sec.), Tajima Iaponius saltu triplici (16 sec.), Lovelock Newseelandiensis cursu 1500 m. (3 min., 47·8 sec.) Stephens (Civ. Unit. Amer.) cursu 100 m. (11·4 sec.). In 11 autem numeris athleticis (100, 200, 5000 m., 3000 m. per impedimenta, 400 m. cursus per crates, cursus Marathonii, eminus, sursum<sup>19</sup> et pertica<sup>20</sup> saliendi,<sup>20</sup> discum et iaculum<sup>21</sup> iaculandi<sup>21</sup>), in uno numero natationis virorum atque in quatuor numeris natationis feminarum (100 m., 200 m. natationis pectoralis, 400 met., 4 × 100 nat. succ.) ope cumulorum victoria comparari poterat. Notabile est 4 numeros cursus (100—800 m.) athletas Nigritas adeptos esse.

Patriae nostrae certatores olympici in 10 certaminibus primum locum obtinuerunt. Vicerunt Ibolyka Csák in saltu<sup>19</sup> sublimi<sup>19</sup> feminarum, Helena Elek battuendo<sup>22</sup> gladiis<sup>22</sup> pra-


pilatis<sup>22</sup>, Franciscus Csik in excellentissimo natationis spatio 100 met. (57·6 sec.), Kárpáti et Julius Zombori in luctatione liberi stili, Lőrincz in luctatione Graeco-Romana, Kabos in arte gladii atque etiam catervae nostrae in lusu<sup>23</sup> follis<sup>23</sup> natantium<sup>23</sup> et in ludo battuendi gladiis primatus suos iterum ratos fecerunt. Decem victoriis inter omnes nationes ad tertium locum pervenimus.

In indice victoriarum Olympicarum ordo nationum hic est: 1. Germania 37; 2. Civit. Unit. Americ. 24; 3. Hungaria 10; 4. Italia; 8. Finnia 7; 6. Gallia 7; 7. Svecia 7; 8. Iaponia 6; 9. Hollandia 6; 10. Anglia 4 victoriis. Eminentis nostra collocatio dignissima erat, quae totius orbis terrarum excitaret admirationem.

Quanti momenti certamen fuerit, numeri hi indicant: Certantium summa erat 4844, quae supergressa est omnia pristina Olympia. Germania 382 viros, 45 feminas, America 323 viros et 44 feminas, Hungaria 266, Anglia 240, Gallia 238 certantes in certamen miserunt. Diurnariis nationum in stadio ipso sedes 1222 assignatae erant. Complures vero principes aderant ut: Rex Bulgariae, heredes regnorum Italiae, Graeciae, Sveciae cum uxoribus, Albrechtus princeps Reg. Hung., gubernatoris nostri filius minor atque multi alii. 4½ milliones tesserarum 7½ milliones marcarum valentes dividendae sunt. Italia, licet annum viri Italici in bello Aethiopico pugnassent, tamen ad quartum locum enixa est. Certatores Hispaniae ob bella civilia certaminibus Olympiis aberant. Mirum omnibus videbatur, quod Angli ultra locum decimum non progressi sunt, quippe neglegenter ad certamina se praeparaverant. Certamina denique amicitiae et coniunctioni nationum suffragabantur; ita factum est, ut Angli Germanis campanam navis bellicae, quae Hinden-


<sup>8</sup> Birodalmi Sporttelep = Reichssportfeld = Stade du Reich <sup>9</sup> közlekedési vonalak = Verkehrslinien = voies de circulation <sup>10</sup> költ, fordít = spenden = dépenser <sup>11</sup> városháza = Rathaus = Hôtel de Ville <sup>12</sup> szabadtéri előadások = Freilichtspiele = spectacles en plain air <sup>13</sup> hangversenyek = Konzerte = concerts <sup>14</sup> néger = Neger = nègre <sup>15</sup> távolugrás = Weitsprung = saut en longueur <sup>16</sup> stafétafutás = Stafettenlauf = course relais <sup>17</sup> világrekord = Weltrekord = record du monde <sup>18</sup> gátfutás = Hürdenlauf = course d'obstacles <sup>19</sup> magasugrás = Hochsprung = saut en hauteur <sup>20</sup> rudugrás = Stabhochsprung = saut à la perche <sup>21</sup> gerelyvetés = Speerwerfen = lancement du javelot <sup>22</sup> törvívás = Florett = fleuret <sup>23</sup> vízipóló = Wasserball = water-polo

burg appellatur, redderent. Rumani vero et Iugoslavi praemio quisque suo secundo ad loca 26. et 27. delapsi cum viderent res gymnicas Germanorum et Hungarorum — quorum fratres in Transsilvania et in Iugoslavia opprimuntur — in altiore gradum evectas esse,



Campus Gymnicorum et porta Brandenburgensis.

quam suas, cum ceteris nationibus unā plauerunt vincentibus. Olympia anni 1940. Tokione celebrabuntur.



### De philosophia.

Iuvenis quidam fine anni scholastici rus rediens patri, simplici agricolae ostendit testimonium<sup>1</sup> maturitatis, quod senex ille bonus intentis<sup>2</sup> oculis perlustrare coepit, sed cum ad studium philosophiae venit, admirans quaesivit: «Pi... pi. pih...? Quid est hoc, mi fili?» — Filius occasione interpretandi laetus: «Carissime pater, ph est f, itaque verbum ita legendum: filosofia, cuius significatio est: sapientiae studium.» — «Et cui prodest<sup>3</sup> philosophia?» quaerit pater. — Filius: «Philosophia

est mater studiorum, quā omnia demonstrari possunt.» — Pater: «Exempli gratia quid?» — Filius: «Philosophiā tibi demonstrare possum, te nunc hic non adesse.» — Pater: «Valde cupidus sum audiendi.» — Filius: «Mi pater, tu nunc Budapestini es?» — Pater: «Quomodo essem? Non.» — Filius: «An fortasse Vindobonae es?» — Pater: «Haud scio, an philosophiā intelligatur enuntiatio<sup>4</sup> mea, sed edicam aperte: peream,<sup>5</sup> si Vindobonae sum!» — Filius patrem mitigans:<sup>6</sup> «Noli irasci! Ergo dicatur simpliciter: Nec Budapestini, nec Vindobonae nunc es.» — Pater: «Recte dicis.» — Filius: «Nec Budapestini, nec Vindobonae te nunc adesse confessus es, itaque nunc alibi esse debes.» — Pater: «Nempe<sup>7</sup> sum alibi.» — Filius: «Carissime pater, attendito<sup>8</sup>: Si alibi es, non hic es. Quod erat demonstrandum!» — Pater paulisper obstupuit,<sup>9</sup> sed sequenti momento alapam<sup>10</sup> ingentem duxit<sup>10</sup> filio. Filius simili modo obstupefactus:<sup>9</sup> «Heu, care pater, alapis dignum putas me, qui testimonium maturitatis multis laboribus meritum nunc tibi tradidi? Cur mihi alapam duxisti?» — Pater leniter<sup>11</sup> filio arridens: «Mehercle, aliquis fortasse alius duxit, nam tu mihi sole lucidius demonstrasti, me nunc adesse non posse!»

Paulus Farkas.

<sup>1</sup> bizonyítvány = Zeugnis = certificat <sup>2</sup> érdeklődő  
aufmerksam = curieux <sup>3</sup> mire jó = was nützt = à quoi bon  
<sup>4</sup> kijelentés = Äusserung = déclaration <sup>5</sup> vigylen  
el az ördög = hol' mich der Teufel = que le diable m'empêche  
<sup>6</sup> csillapítva = besänftigend = calmant <sup>7</sup> persze  
hogy = freilich = bien sûr <sup>8</sup> figyelj csak = pass mal auf = écoute  
<sup>9</sup> elálmélkodik = erstaunen = s'étonner <sup>10</sup> nyaklevest ad = eine Ohrfeige geben = flanquer une gifle  
<sup>11</sup> szeliden = sanft = doucement

### Quid Posonii Francisco Liszt acciderit.

Liszt cum patre ad cenam invitatus dominae roganti, quem cibum maxime appeteret, se cupidissimum esse carnis porcinae in brassica<sup>1</sup> coctae respondit. Franciscus, quamvis iam artifex puerilem naturam non exuit; ante cenam cum pluribus in horto cursabat et luctabatur, dein appetitione ita excitatā mensae assedit. Cum hospites a<sup>2</sup> cena in fumatorium<sup>3</sup> transierunt, Franciscus disparuit. Paulo post dominae culinam<sup>4</sup> intranti iucundissimum spectaculum obiicitur. Franciscus e patina inter genuā positā reliquias<sup>5</sup> brassicae eisdem digitis

<sup>1</sup> káposzta = Kraut = choucroute <sup>2</sup> után = nach = après  
<sup>3</sup> dohányzó = Rauchzimmer = fumoir <sup>4</sup> konyha = Küche = cuisine <sup>5</sup> maradék = Überbleibsel = débris



diligenter excipiebat, quibus aliquot horis ante auditores, sum sonatam quandam Beethovenianam clavichordio<sup>6</sup> cecinit, in extasin<sup>7</sup> rapuit.<sup>7</sup>

Aem. Läng.

<sup>6</sup> zongora = Klavier = piano <sup>7</sup> elragad = entzücken = ravir

### Vis calor.

Hac aestate tantos calores passi sumus, quantorum memores haud facile invenires. Fabellam iocosam de aestivi solis ardore<sup>1</sup> eos consolandi causā proponimus, qui hanc aestatem Europaeam intolerabilem putabant.

In curru ferriviae Mexicanae vectores<sup>2</sup> certatim sudant.<sup>3</sup> (Dolendum est, quod in Olympiis Berolinensibus certamina sudandi non fuerunt, nam unus ex his Mexicanis sine dubio primatum<sup>4</sup> orbis terrarum obtinisset.) «Pff!» — flavit unus. — «Pffff!» — respondit alter. —


Nonne tu in hac regione habitas?

— Ita. Scisne, carissime, hanc aestatem tam fervidam<sup>5</sup> esse, ut nuper mihi per fenestram prospectanti gutta fervida in nasum stillaverit.<sup>6</sup> Coniectasne,<sup>7</sup> quid fuerit? Lamina<sup>8</sup> colliciaris<sup>8</sup> liquefacta desuper stillavit.

— Hoc tu fervorem esse dicis? Ego in parte regni meridiana habito. Nuper in silva ambulans lupum aspexi, cum cervum persequi incepit. Haud mediocriter miratus sum, cum ambos ob calorem horribilem tantum pedentim<sup>9</sup> procedentes viderem!

Victor Kósa.

<sup>1</sup> forróság = Hitze = ardeur <sup>2</sup> utas = Passagier = passager <sup>3</sup> izzadik = schwitzen = suer <sup>4</sup> bajnokság = Meisterschaft = championnat <sup>5</sup> forró = heiss = ardent <sup>6</sup> csepeg = tröpfeln = goutter <sup>7</sup> kitalál = erraten = deviner <sup>8</sup> ereszcatorna bádoggja = das Blech der Dachrinne = la tôle de la gouttière <sup>9</sup> lassú lépésben = langsamen Schrittes = pas à pas



### Hugo Grotius.

Hugo Grotius anno 1583. in urbe Delft natus est. Iam puer 8 annorum carmina Latina fecit, et 15 annos natus studia in academia Lugduni<sup>1</sup> Batavorum<sup>1</sup> confecit. Imprimis iuris peritissimus erat, ut insignia munera<sup>2</sup> publica impetraret.

Vitae curriculum magnificum ei reservatum esse videbatur. Sed controversiae ad religionem attinentes ortae sunt. Hugo Grotius adversarius eius factionis,<sup>3</sup> quae in republica plurimum valebat, captus et ductus est in arcem Loevestinam, quae eo loco sita est, ubi Mosa et Vahalis confluunt et urbs Gorinchem procul surgit. Tredecim ianuae seris<sup>4</sup> ferreis Grotium a coetu hominum frequentiaque separabant! Opportune accidit, ut uxori liceret unā esse cum marito: ea enim Grotium e carcere liberavit.

Unus e Grotii amicis certis temporibus arcam<sup>5</sup> plenam librorum in arcem Loevestinam mittere solebat. Libris lectis arca remittebatur. Primo arcis praefectus arcam scrutari solebat, sed, cum nihil unquam nisi libros Graecos et Latinos invenisset, hac consuetudine destitit. Tum Grotii uxor hoc consilium iniit. Cur Grotius arcā latens ex carcere effugere non possit? Clam dolus parabatur. Hebdomade<sup>6</sup> praeteritā Grotius iam assecutus erat, ut duas horas in area manere posset spiritum ducens per clostellum<sup>7</sup> foramen.<sup>7</sup> Consilium, quamquam periculosum, tamen effici posse videbatur. Nunc occasio expectanda erat!

Postero die procella arcem Loevestinam quassabat et aquae Mosae et Vahalis alte surgebant. Eo die arca in urbem mittenda erat, sed pro libris Grotius in arca consedit. Uxor eius cubili<sup>8</sup> opertorium<sup>9</sup> obduxerat, vestimenta mariti sui in sella posuerat, crepidas<sup>10</sup> eius pro cubili locaverat. Sic milites iussi arcam auferre Grotium dormire putaverunt. Sed arca tolerantibus gravior esse videbatur. Tum unus ex eis dixit: ego equidem Grotium in arca sedere puto, sed alii riserunt: arcam enim minorem esse quam ut virum staturā Grotii continere posset! Accedit, ut viderent arcam non perforatam esse. Magnā contentione<sup>11</sup> virium<sup>11</sup> arca per 13 ianuas tracta tuto ad navem pervenit.

Tum ex composito<sup>12</sup> ancilla (cui nomen

<sup>1</sup> Leyden = Leyde = Leyde <sup>2</sup> tisztség = Amt = fonctions <sup>3</sup> párt = Partei = parti <sup>4</sup> zár = Schloss, Riegel = serrure <sup>5</sup> láda = Kiste = caisse <sup>6</sup> hét = Woche = semaine <sup>7</sup> kulcslyuk = Schlüsselloch = trou de la serrure <sup>8</sup> fekvőhely = Lager, Bett = couchette <sup>9</sup> takaró = Decke = couverture <sup>10</sup> saru = Schuhe = sandale <sup>11</sup> erőfeszítés = Kraftanstrengung = effort <sup>12</sup> megbeszélés szerint = der Verabredung gemäß = conformément à l'arrangement

erat Elsaevan Houwemugen) panno<sup>13</sup> significat Grotii uxori omnia adhuc benè evenire. Hoc autem uni e nautis in suspicionem venit. Roganti, cur significaret, respondit: «Famulus dixit me nave vehi non audere, cum tanta procella orta esset, sed nunc videt me tamen profectam esse». Tunc autem maximae difficultates manebant. Procella navem iactabat; ita ancilla timens, ne arca in aquam delaberetur, rogavit, ut ad malum deligeretur. Brevi tempore post miles in arca consedit et calcibus<sup>14</sup> insultare<sup>14</sup> incepit. Sed ancilla callida ei lascive<sup>15</sup> arridens dixit arcam praeter libros quoddam fragile continere. Sic miles alio loco consedit.

Vento secundo navis ad urbem Gorinchem pervenit. Pars difficilior confecta erat; nemo adhuc quidquam suspecti animadverterat. Cum autem nautae arcam in domum amici Grotii transportarent, Grotius se movit. Id eos non latuit et unus ex eis: «Nonne audis, Elsa», inquit, aliquid animans<sup>16</sup> in arca esse? Sed ancilla prompte respondit: «Libri non res mortuae sunt, sed vim ac spiritum habent». Hoc responso nautae contenti erant. Cogitare potestis Elsam laetam fuisse, cum arca ad finem pervenisset.

Apud amicos Grotius alia vestimenta induit et paucis horis post urbem Gorinchem fabri veste reliquit. Uxor consilium et ancillae calliditas<sup>17</sup> Grotio libertatem reddiderant. In urbem Lutetiam Parisiorum se contulit, ubi bene receptus est. Etiam uxor et liberi, necnon ancilla huc venerunt. A rege Galliae merces annua ei promissa, sed non semper persoluta<sup>18</sup> est. Hic scripsit illud opus «de iure belli ac pacis», in quo libro bellum condemnat et controversias inter nationes secundum ius gentium componendas esse putat. Sic praenuntius fuit Societatis Nationum. In patria redire ei non licuit et exul mortuus est, postquam multos honores in terris externis accepit. Non est propheta sine honore, nisi in patria sua!


Scripserunt discipuli classis II. gymn. Schiedamensis.

<sup>13</sup> kendő = Tuch = fichu <sup>14</sup> sarkával döngetni = mit den Fersen stossen = heurter de ses talons <sup>15</sup> pajkosan = schalkhaft = espièglement <sup>16</sup> élőlény = lebendig = être vivant <sup>17</sup> ravaszág = Schlaueit = finesse <sup>18</sup> kifizet = auszahlen = payer <sup>19</sup> békés úton elintéz = beilegen = arranger

### Quomodo arx Buda dominatione Turcarum liberata est?

Scripsit Eug. Mesterházy. Convertit Dion. Kövendi.

Ante hos 250 annos a. d. IV. Nonas Septembris arx Buda, caput patriae nostrae, post servitutem Turcicam 145 annorum liberata est et mox iterum urbs prima patriae fieri potuit. Re-



Stadium Berolinense.

cuperatio arcis Budae eventus maximi momenti fuit, haud<sup>1</sup> secus<sup>1</sup> atque<sup>1</sup> amissio eius a. 1541.

Hungaria, quamquam in tres partes dilacerata, imperium Turcārum usque magis amplificatum haud aequo animo ferre potuit. Nicolaus Zrinyi arcem Szigetianam defendens cecidit, sed hic Turcae Europam subigere conantes primum sanguinis profusionem magnam passi sunt. Si pars Hungariae a regibus administratae cum Transsilvaniā consentire potuisset, forsitan spes Turcārum expellendorum et arcis Budae recuperandae ostensa esset. Sed duces regis Rudolphi: Basta caede amenti in Transsilvaniā editā et Belgioioso Cassoviae residens impetū in principem Bocskay facto tumultum<sup>2</sup> primum Hungarorum concitaverunt. Tumultus a Turcis adiuvābatur et ex hōc tempore diū

<sup>1</sup> éppen úgy, mint = ebenso wie = de même que <sup>2</sup> fölkelés = Aufstand = insurrection



ne in cogitationem quidem cadere potuit, ut Hungaria mutilata viribus cum Transsilvaniâ unitis Turcas expelleret.

Rationes politicae saeculi XVII. reges nostros Habsburgienses ad Occidentem vertērunt, ubi vires eorum omnes pugnando cum aemulo magno: Ludovico XIV. occupatae erant, qui motū Cruciatorum<sup>8</sup> errābundōrum gaudens impetravit, ut Turcae eos adiuvarent. Ibi ab a. 1676. *Cara Mustapha dux*, dictus: *magnus*, fuit, qui gloriae cupidus ipsam Vindobonam capere voluit. Dum Leopoldus I. Turcās pacem in oppidulo *Vasvár* factam redintegratos esse confidit, dux magnus Turcarum copias colligere coepit et iam palam *Thökölyum* in gratiam atque amicitiam accipit, cui paene totam Hungariam Superiorem occupare contingit. Tum Leopoldus leges et instituta Hungariae restituere decrevit: a. 1681. *Scarabantiā* magnates et ceteros ordines ad comitia regni<sup>5</sup> convocat. Paulus e comitibus *Esterházy* palatinus creatus est, ut gravamina curārentur.

Sed perspexit consilia Carae Mustaphae Summus<sup>6</sup> pontifex<sup>6</sup> *Innocentius XI.*, nomine familiae *Benedictus Odescalchius*, qui eodem tempore successor S. Petri creatus est, quo *Cara Mustapha dux magnus* factus est. Papa sibi imperium Turcārum destruere proposuit. Sed quia Leopoldum sine sociis Turcas haud aggredi audere non ignorabat, regi Francorum persuasit, ut, si bellum cum Turcis oriretur, in neutris<sup>7</sup> partibus<sup>7</sup> esset. Deinde *Iohanni Sobieskio*, regi Poloniae, Turcas etiam Polonis hostes naturales esse persuasit†; itaque rogabat, ut cum Leopoldo foedus iceret. Quamquam propter uxorem Francogallicam *Sobieskius* magis Ludovico XIV. amicus erat, argumentis tamen gravibus et pecuniā *Innocentius XI.*, quod voluit, assecutus est. Foedus a. 1683. ictum *Sobieskius* obligavit, ut, si Turcae Vindobonam aggredierentur, ipse praesens<sup>8</sup> urbem imperatoriam adiuvaret.

Iam a. d. IV. Id. Iul. *Cara Mustapha* sub moenibus Vindobonae cum exercitu maximo stetit. Duos menses Vindobona usque obsidēbatur, sed tandem pridie Idus Sept. auxilia \* Christianorum Turcās fuderunt fugaveruntque. Si Turcae non Vindobonam essent aggressi, certē Leopoldus exercitū ad liberandam Hungariam non movisset. Vires suas contra aemu-

lum infestum, Ludovicum XIV., conservasset, qui affinis<sup>9</sup> hereditatem Habsburgorum Hispaniensium mox emorientium haud secus atque ipse Leopoldus expectabat.

Sed fama orationum monachi paenulatio Italici, vitā sanctissimā, etiam ad Leopoldum pervenit, qui fratrem *Marcum de Aviano* a. 1680. ad sē venire iusserat. Frater simplex mirum in modum animum «Leopoldi pii, sed sapientiā parum imbuti» commovit, qui vix eum dimittere voluit. Iuxta sē eum considerare iubet, quod nemini concedere solebat; manum monachi osculatur; edicit sibi illo opus esse et interrogat, putetne bellum contra Turcas etiam post Vindobonam liberatam gerendum esse. *Marcus* annuit. Etiam *Carolus* e principibus *Lothringen* hostes persequi vult, solus *Sobieskius* copias quiete<sup>11</sup> firmare<sup>11</sup> optat. Sed *Marcus* etiam regi Poloniae persuadet, ut consilium mutet, itaque iam a. d. VI. Idus Sept. copiae sociorum proficiscuntur, ut mox victoriam ad *Parkany* reportent. *Innocentius XI.*, princeps ecclesiasticus annorum 73 voluntate iuvenili contra Turcas dimicat. Foedere Germanorum et Polonorum haud contentus *Marcus* filium rei publicae superbae *Venetiam* mittit, ut etiam urbem illam sociam foederis contra Turcas adiungeret. Liga Sancta vere anni 1684. instituta est et auctore *Innocentio XI.* exercitū imperatorii ab Occidente, rex Poloniae ab oriente, *Venetia* autem secundum mare imperium Turcarum aggreditur arcem Budam liberandi causā.

Exercitus imperatoris clarus ac validus LV milium pridie Idus Iulias arcem aggredi coepit. Defensor Vindobonae clarissimus: *Ruediger* e comitibus *Starhemberg* se arcem in 5 diebus capturum esse promittit. Sed post obsidionem 109 dierum omnibus prave factis, 23 milibus militum amissis redire coactus est. *Marcus* delicta exercitū imperatori scribit, simul clam consilium belli elaboratum mittit, quod ne quis comperiat, rogans, haud enim optandum esse,

<sup>3</sup> kuruc = die Kurutzen = couroutz (nom des insurgés hongrois de ce temps-là) <sup>4</sup> Sopron <sup>5</sup> országgyűlés = Reichstag = diète <sup>6</sup> pápa = Pape = pape <sup>7</sup> semleges maradjon = neutral bleiben = rester neutre <sup>8</sup> meggyőzte arról, hogy = überzeugen von etwas = persuader à qn de... <sup>9</sup> személyesen = persönlich = personnellement <sup>10</sup> felmentő csapatok = Entsatz = armée de secours <sup>11</sup> mint sógor = als Schwager = comme beau-frère <sup>12</sup> kapucinus barát = Kapuzinermönch = capucin <sup>13</sup> pihentetni = sich ausruhen lassen = délasser

ut duces imperatoris auctorem cognoscant. Postulatque ab imperatore, ut finem profusae luxuriae et repetundarum<sup>12</sup> faciat, quae tam impudenter factae sunt, ut postea nuntius papae, *Bonvisius* ipse mercennarios conducere<sup>13</sup> et mercedem solvere cogeretur, crebri enim peculātūs<sup>14</sup> publici<sup>14</sup> erant.

Interim oppida *Neoselium*,<sup>15</sup> *Szegedinum* et *Visegrad* recuperata sunt, cum Turcae exterriti *Thökölyo* in vincula coniciendo delictum<sup>15</sup> ineptum<sup>15</sup> committunt et captivum imperatori offerunt, si ille pacem facere velit, sed repudiati sunt. Cruciatum autem improbitatem Turcarum videntes non solum *Cassoviam*, clavam Hungariae Superioris imperatori tradunt, sed etiam legem<sup>17</sup> oblivionis<sup>17</sup> a Leopoldo iam ante oblatam accipiunt et in diēs maiore numero se copiis Christianis adiungunt ita, ut cum tandem a. d. XIV. Cal. Iulias a. 1686. denuo exercitus imperatoris 95 milium *Carolo* duce adesset, numerus militum Hungaricorum 15 milium esset.

Hungari in varias copias mercennarias imperatoris divisi sunt. Pars eorum *Pálffy* et *Batthyányo* ducibus officio exploratorio utili funeta est ad Meridiem, ubi ineunte Augusto *Suleimanus, dux* Turcarum *magnus*, cum auxiliis apparuit. Sed exercitus principis<sup>18</sup> electoris<sup>18</sup> *Bavariensis* in montibus *Gerardi* et *Solis* positus et a *Carolo* propugnaculo munitus est, quod dux *magnus* perrumpere haud audebat. Tantum aliquot *ianissari* trans vallem, quae *Frigida* dicitur, arcem intrare potuerunt, ut praesidium septem milium Turcarum firmarent, quorum dux: *Abdurrahmanus* satrapes† annorum LXX fortiter se defendebat. Vexillum primum a. d. VI. Cal. Aug. a militibus Hungaricis *Arrabonensibus*, qui *Haidones* dicuntur, in manu<sup>19</sup> *Brandenburgensium* selecta<sup>19</sup> pug-

nantibus in moenibus externis captis defixum est. Praecipue propugnacula et moenia septentrionalia *Montis Arcis* oppugnabantur, ubi *Porta Vindobonensis* nuper restituta patebat. (In memoriam cruentarum huius loci pugnarum etiam hodiē via ad portam illam ducens *Via Oppugnationis* appellatur.) Tum uno die V milia Christianorum ceciderunt, quorum 600 *Haidones* Hungarici erant.

Princeps *Bavariensis* iuvenis *Carolo* duci seniori et perito obtemperare noluit, hic enim



simplex princeps, ille autem princeps elector erat, generique Leopoldi I. Sanguis igitur plurimus effundendus erat, dum a. d. IV. Nonas Septembres post meridiem horā VI. impetus undique fieri posset. Ante singulas legiones Germanicas 50—100 Hungari inceserunt, sed omnes passūs pretio magno exsolvere debebant, Turcae adeo fortiter restiterunt. Frustrā enim discessus liber iam bis duci cano *Abdurrahmano* oblatas est, cuius memoriam monu-

<sup>12</sup> zsarolás = Erpressung = chantage <sup>13</sup> felfogad = dingen = engager <sup>14</sup> közpénzek elikkasztása = Unterschlagen von öffentlichen Geldern = peculat <sup>15</sup> Érsekújvár <sup>16</sup> taktikai hiba = Taktlosigkeit = gaffe tactique <sup>17</sup> közbocsánat = Amnestie = amnistie <sup>18</sup> választófejedelem = Kurfürst = prince électeur <sup>19</sup> basa = Pascha = pacha <sup>20</sup> rohamosztag = Sturmkolonne = section d'assaut



mentum lapideum tiarā<sup>20</sup> ornatum in margine moenium septentrionalium collocatum conservat, ubi linguā Hungaricā et Turcicā inscribitur: «Hic cecidit a. d. IV. Nonas Septembres a. 1686. Abdurrahmanus 70 annos natus. Adversarius fortissimus requiescat in pace!»

Davidus *Petneházy* praefectus militum<sup>21</sup> inter primos in moenibus vidēre potuit, quomodo dux ultimus Budensis Turcārum paucis tribunis militum suis circumdatus acriter pugnans caderet. Milites reliqui Turcarum in palatio regis Matthiae se intersaepserunt,<sup>22</sup> cuius in moenia copiae principis electoris procedentes eniti studēbant. Etiam hos vicesucenturio<sup>23</sup> Hungaricus: Andreas *Ramocsay* praevenit, cui super portā, quae dicitur «Fehérvári» irrumperet et non solum vexillum Hungaricum defigere, sed usque ad aream S. Georgii progredi contigit. Sed hīc a manipulo suo seiunctus a Turcis captus de arbore quādam humili suspensus est. Pedibus solum non tangentibus Hungari eum sequentes tempore<sup>24</sup> adhuc viventem abscondere potuerunt. Post obsidionem locum<sup>25</sup> centurionis a Leopoldo accepit, postea comes arcis Budae nominatus est.

Summo Pontifici et Christianis ab occidente undique venientibus merito gratias agere possumus maximas. Illi tum ex parte resolverunt, quod gens Hungarica a rege S. Stephano per tot saecula pro Christianis et Occidente ingrato fecerat. Forsitan Leopoldo I. debemus gratiam minimam, qui praemium Budae liberatae in comitiis regni Posoniensibus a. 1687. postulavit, ubi ordines a Caraffā territi non solum dynastiam aeternam fecerunt, sed etiam, ut abdicarent iure resistendi in Bullā Aureā affirmatō, coacti sunt.

Arx Buda autem igne tormentorum<sup>26</sup> 60 maiorum et 100 minorum et 40 mortāriorum,<sup>27</sup> haud secus praedatione liberā tres dies concessā adeo pessumdata est, ut quamquam liberata, ruina facta sit. Recreanda igitur fuit, sicut Pestinum et Hungaria tota. Et re vērā omnia recreāta sunt, sed postea pax Trianonica, cuius prima causa dominatio Turcarum

<sup>20</sup> turbán = Turban = turban <sup>21</sup> tiszt létére = als Offizier = officier <sup>22</sup> eltorlaszol = verbarrikadieren = se barricader <sup>23</sup> alhadnagy = Vizeleutnant = adjudant <sup>24</sup> idejében = rechtzeitig = à temps <sup>25</sup> rang = Rang = rang <sup>26</sup> ágyú = Kanone = canon <sup>27</sup> mozsár = Mörser = mortier

fuerat, nos prorsus afflixit. Sed etiam spoliati et afflicti nos tamen sperāmus fore, ut liberatio haud denuo 145 annos expectanda sit.

### Alborum Rex.<sup>1</sup>

Carmen Goetheianum vertit O. Schmieß.

1. *Per noctem quis equitat tam sero?*  
*Est pater cum suo puerulo;*  
*In sinu tenet is puerum,*  
*Quem tenet tam tutum, tam calidum.*

2. «*Mi fili, quid condis tu faciem sic?*» —  
«*Num, pater, regem Alborum, dic,*  
*Num cernis cum cauda argentea?!*» —  
«*Mi fili, hoc tantum est nebula.*»

3. «*Carissime infans, mecum i!*  
*Nam ludere tecum in mente est mi;*  
*Quam varii flores in litore*  
*Sunt matri et vestes aureae!»*

4. «*Mi pater, mi pater, num accipis,*  
*Alborum rex quid promittat is?»* —  
«*Quiesce, mi, teque quieti da!*  
*Susurrat ventus per folia.»*

5. «*Dulcissime puer, me sequere!*  
*Meae filiae bene curanto te!*  
*Meae filiae nocte choreas dent,*  
*Cantantes, saltantes te agitent!»*

6. «*Mi pater, mi pater, num conspicias*  
*Has filias regis in tenebris?»* —  
«*Mi fili, mi fili, percipio res:*  
*Videntur tam canae hae salices.»*

7. «*Te amo, figura haud displicet mi;*  
*Ni facilis es, te rapiam vi.»* —  
«*Mi pater, nunc vult me capessere!*  
*Oh, Albus dolore affectus me.»*

8. *Tum pater horrescens perequitat,*  
*Gementem artius implicat,*  
*In vicum pervenit pavidus;*  
*In sinu puer est mortuus.*

<sup>1</sup> tündérkirály = Erbkönig = Le roi des lutins



### Iocosa.

1. In statione ferriviaria vir quidam per-pasto<sup>1</sup> corpore<sup>1</sup> anhelans adveniēns alloquitur unum ex baiulis:<sup>2</sup> «Possumne cursu consequi vecturam<sup>3</sup> citatiorem<sup>3</sup> Vindobonensem?» Baiulus horologio aspecto aequo animo dicit: «Id totum in eo<sup>4</sup> vertitur,<sup>4</sup> quam celeriter fugere possis. Vectura enim iam tribus minutis antecessit.»

2. Magister ad filium medici: «Pater tuus nescire videtur te tam pigrum esse. Nisi te melius gesseris, patrem vocare debebo.» — Filius respondet: «Noli, domine, id facere! An nescis, patrem pro singulis visitationibus decem nummos petere solere?»

Thomas Huzella disc. gymn. Acad.

3. Iosephus: «Vestificus<sup>5</sup> meus peritissimus suae artis est. Vestem meam usu<sup>6</sup> detritam<sup>6</sup> tam habiliter nuper resarsit,<sup>7</sup> ut vestem veterem esse haud cerni posset.» — Ioannes: Vestificus meus tuum scientiā superat. Nam vestem meam ferramento<sup>8</sup> calefacto<sup>8</sup> tam bene levigavit,<sup>8</sup> ut levigatio haud cerni posset.»

4. Paulus valde balbutiens<sup>9</sup> adit scholam viti<sup>10</sup> oris<sup>10</sup> affectorum,<sup>10</sup> ubi linguā<sup>9</sup> haesitare<sup>9</sup> dedoceretur.<sup>11</sup> Exeunte anno scholastico magister in tentamine<sup>12</sup> scientiae<sup>12</sup> dicit: «Eloquere hoc verbum: *duodecim*, sed lente et prius dic modo primam partem, deinde alteram!» Discipulus magno spiritu ducto incipit: «S... s... sex.»

5. Cum parentes nescirent, quid Ioanni filio natalicio darent, interrogaverunt. «Maxime gaudebo, — respondet ille — si sexies octona quinquaginta sex fient.» — «Cur?» — dicit pater stupefactus. — «Nam in penso scholastico — inquit Ioannes — ita scripsi!»

Ioannes Glancz e Scholis Piis.

6. Paulus timens, ne petasum<sup>13</sup> novum fur auferret, in caupona uxori aliquid per filium<sup>14</sup> nuntiaturus petaso chartam haec dicentem superimposuit: «Hic est petasus pugilatoris,<sup>15</sup>

qui mox redibit» doloque confisus tranquille zotheculam<sup>16</sup> telephonicam intravit. Unde rediens non mediocriter stupefactus<sup>17</sup> est, cum pro petaso subrepto<sup>18</sup> aliam chartam invenit, in qua haec lēgit: «Petasum cursor regni celerimus abstulit nunquam rediturus!»

Lucia Gonda disc. Theresiani Budapestinensis.

7. Adolescentulus rure Budapestinum pro-fectus in luco urbano ambulat, cum procella cooritur, cuius vi petasus stramineus<sup>19</sup> unius ex



Abdurhaman.

ambulantium unā cum crinibus<sup>20</sup> emptis<sup>20</sup> de capite detorquetur. Puer simplex<sup>21</sup> domum reversus matri narravit Budapestini ventos tam violentos esse, ut etiam crines hominibus evelerent.

Fel. Gondán.

<sup>1</sup> testes = wohlbeleibt = corpulent <sup>2</sup> hordár = Gepäckträger = porteur <sup>3</sup> gyorsvonat = Schnellzug = le rapide <sup>4</sup> attól függ = es hängt davon ab = cela dépend <sup>5</sup> szabó = Schneider = tailleur <sup>6</sup> viseltes = abgenützt = usé <sup>7</sup> kijavít = ausbessern = raccommoder <sup>8</sup> kivasal = bügeln = repasser <sup>9</sup> dadog = stottern = balbutier <sup>10</sup> beszédhibás = mit Sprachfehler behaftet = balbutieur <sup>11</sup> leszoktat = abgewöhnen = deshabituer <sup>12</sup> vizsga = Prüfung = examen <sup>13</sup> kalap = Hut = chapeau <sup>14</sup> távbeszélő = Fernsprecher = téléphone <sup>15</sup> ökolvivó = Faustkämpfer = boxeur <sup>16</sup> fülke = Nische = cabine <sup>17</sup> elálmélkodik = erstaunen = s'étonner <sup>18</sup> elcsen = entwenden = escamoter <sup>19</sup> szalma = Stroh = paille <sup>20</sup> páróka = Perücke = perruque <sup>21</sup> naiv = naïf





Hispania bello civili percellitur. Duces exercitū et cives iugum communistarum excutere volunt, qui pecuniā Russorum corrupti religionem et sacerdotes extirpaturi<sup>1</sup> caede et sanguine omnia miscent. Galli ceteris populis persuadere conantur, ne armis aut sumptibus factionem<sup>2</sup> popularium<sup>2</sup> militariumve adiuvent.

In Gallia novum gubernium iam omnia fere, quae populares optaverant, fecit, tamen operari sine dubio Russis instigantibus<sup>3</sup> non desinunt officinas obsidendo aut occupando disciplinam publicam turbare.

Itali in Aethiopia pacata vias construendo, valetudinaria<sup>4</sup> et scholas aedificando non minus quam clementiā animos sibi incolarum in dies magis magisque reconciliant.

Eduardus rex Anglorum, postquam ab insano quodam Hiberno<sup>5</sup> sclopetulo<sup>6</sup> petitus<sup>7</sup> providentiā divinā incolumis mansit, ferias aestivas prope oras maritimas Dalmatiae egit. Novo foedere amicitia inter Anglos Aegyptiosque renovata est, delectique viri<sup>8</sup> Londinio in Palaestinam mittuntur, ut controversias inter Arabes Iudaeosque componant.<sup>9</sup>

Germania et Austria normali statu amicali restituto exinde in communibus rebus politicae externae non obliviscuntur ambos populos Germanos esse. Cum in Russia novissime etiam mulieres quo maior exercitus sit, arma<sup>10</sup> doceantur,<sup>10</sup> Germani, ut defendere se possent, tempus stipendii<sup>11</sup> ad biennium prolongaverunt. Gubernator noster, Nicolaus Horthy ad venationem invitatus in Germania Austriaque quattuor rupicapras<sup>12</sup> glande<sup>13</sup> confecit<sup>13</sup> praesidesque Hitler et Miklas adiit et salutavit.

In Russia 16 primores quamquam optime de republica sovietica meruerant, tamen quia quibusdam factis Stalini praesidis non assentiri ausi sunt, supplicio puniti sunt. Haec est libertas in Russia!

Consilium<sup>14</sup> Nationum Societatis Commercio<sup>14</sup> litterarum<sup>14</sup> mutuarum<sup>14</sup> colendo<sup>14</sup> in convento huius anni Budapestini habito de studiis liberalium<sup>15</sup> doctrinarum<sup>15</sup> hominis moderni deliberaverunt. Prof. Rich. Winn Liwingstone declaravit multos primores Angliae (Macdonald, Baldwin, Balfour, etc.) peritissimos litterarum Latinarum Graecarumque esse, nam opera plurimorum poetarum et scriptorum Anglicorum ne intelligi quidem nisi ab ratione<sup>16</sup> litterarum humanarum posse. Auditores praeter orationes Anglicas, Gallicas et Germanicas maxime professores Halecki Polonicus et Ussani Italicus orationibus Latinis, item Helena Vacarescu Rumana carmine a se ipa Latine composito delectaverunt, quibus etiam praeses conventus, Paulus Valéry, sodalis Academiae Gallicae Latine respondit. Delegati, quorum plures in gymnasiis iuvenes etiam Latine colloqui docendos esse censebant, acceptis ephemeride nostrā et anthologiam musicā Horatianā ab Iosepho Wagner collectā sibi persuadere potuerunt studia Latina in Hungaria non negligi.

Tabula mortuorum. Angli scriptorem operum satiricorum G. C. Chesterton, Russi notissimum paupertatis narratorem, Maximum Gorkij, Itali autem Gratiam Deledda poetriam<sup>17</sup> praemio Nobeliano laureatam lugent.

Sollemnia anniversaria. Universitas Traiecti<sup>18</sup> ad Rhenum<sup>18</sup>, ubi ad nostros dies 1800 iuvenes Hungarici docebantur, item gymnasium ordinis S. Bened. Scarabantiae<sup>19</sup> tertium, gymnasium autem Helv. confess. Miskolciense quartum centenarium celebraverunt permultis gratulantibus, quibus Iuventus nostra quoque se adiungit.

Casus tristes. In Foederatis Americae Civitatibus aestus<sup>20</sup> solis<sup>20</sup> adeo increvit, ut innu-

<sup>1</sup> kiirt = austilgen = exterminieren <sup>2</sup> népfront = Volksfront = le front populaire <sup>3</sup> uszít = verhetzen = exciter <sup>4</sup> kórház = Krankenhaus = hôpital <sup>5</sup> ír = Irlander = Irlandais <sup>6</sup> pisztoly = Pistole = pistolet <sup>7</sup> merényletet követ el = ein Attentat machen = attenter à <sup>8</sup> bizottság = Kommission = commission <sup>9</sup> elosztat = beilegen = dissiper <sup>10</sup> katonai kiképzésben részesít = militárisch ausbilden = recevoir une instruction militaire <sup>11</sup> katonai szolgálat = Soldatendienst = service militaire <sup>12</sup> zerge = Gemse = chamois <sup>13</sup> lelő = schiessen = abattre <sup>14</sup> Szellemi együttműködés bizottsága = Komitee für geistige Zusammenarbeit = Comité de Coopération Intellectuelle <sup>15</sup> humanizmus = Humanitát = les humanités <sup>16</sup> szempont = Standpunkt = point de vue <sup>17</sup> költő = Dichterin = poétesse <sup>18</sup> Urecht <sup>19</sup> Sopron <sup>20</sup> forróság = Hitze = chaleur

merabilis sit multitudo siriasi<sup>21</sup> mortuorum. Etiam messis propter siccitatem et penuriam aquarum solito vilior evasit. In Rumania suggestus<sup>22</sup> spectatorum pondere multitudinis coram Carolo rege, Paulo principe regenti Servianorum et Eduardo Benes praeside Cecosloviae corruens mortis plus trecentorum causa fuit. Budapestini auriga<sup>23</sup> propter defectionem animi cum automobili epimedion<sup>24</sup> pontis perumpenti in Danuvium decidit et submersus est. In Austria navis vapore mota gubernaculo rupto tam vehementer fluctibus pilae<sup>25</sup> pontis afflicta est, ut in duas partes dissecata submergeretur.

<sup>21</sup> napszúrás = Sonnenstich = coup de soleil <sup>22</sup> tribün = Tribune = estrade <sup>23</sup> sofför = Chauffeur = chauffeur <sup>24</sup> korlát = Geländer = parapet <sup>25</sup> pillér = Pfeiler = pile



## Ludovicus Blériot.

Ludovicus Blériot, aëronauta magnus spasm<sup>1</sup> cordis<sup>1</sup> mortuus est. Dolore cordis iam pridem cruciatus est, mors tamen inopinata venit. Blériot primus erat, qui vero volare poterat. Homines etiam antea volare conati sunt, sed conatus illi solum saltus aut lapsus dici poterant. Aëroplanum instrumentum comatus esse posse primus Blériot transvolando fretum Britannicum<sup>2</sup> a. d. VIII. Cal. Aug. a. 1909. demonstravit. A. 1909. ephemeris *Daily Mail* praemium milium librarum fretum transvolanti proposuerat. Aëronautae clarissimi illius temporis: centurio Ferber, Farman, Delagrange, Voisin et Latham munus grave suscipere experti sunt. Tum nomen Blériot non nisi paucis notum erat. Conatus toties irriti<sup>3</sup>

iuvenis Gallici ad iocos faciendos occasionem dabant, neque a rei peritis aestimati sunt.

Multis considerationibus theoreticis et experimentis activis<sup>4</sup> factis machina ad fretum transvolandum, quod eodem tempore Latham bis frustra experiebatur, tandem apta esse visa est. Blériot septem dies exspectabat, dum ventus sedaretur et tempestas serena nuntiaretur. Oculi Europae in eo fixi erant. Oppido Calet<sup>5</sup> relicto — huc usque duae naves<sup>6</sup> torpedinariae<sup>6</sup> comitatae sunt — aëroplanum super undas provolans strepuit, dum 23 sexagesimis post in portu Dubri<sup>7</sup> descendere potuit. Hic successus in Britannia maiorem admirationem movit, quam in terra Continenti, nam separatio regni insularum magni sublata est. Eodem anno Blériot ad artem volandi ostentandam Budapestinum venit. Post meridiem a. d. XV. Cal. Nov. multitudo 300 milium convenit, quibus praesentibus aëronauta Gallicus tres volatus fecit. Cum tertio incolumis appelleret, ingenti cum admiratione salutatus atque ab admiratoribus in humeros elatus est.

Blériot momentum<sup>9</sup> militare constructionis suae mox cognovit et perseveranter elaborabat in invento excolendo, quo magis machina usui bellicoso apta fieret. Exercitus Gallici in bello mundano nullis aliis nisi aëroplanis Blérioticis

<sup>1</sup> szívgörcs = Herzkrampf = crise cardiaque <sup>2</sup> la Manche-catorna = Ärmelkanal = la Manche <sup>3</sup> sikertelen = verunglückt = infructueux <sup>4</sup> gyakorlati = praktische = pratique <sup>5</sup> Calais <sup>6</sup> torpedónaszád = Torpedoboot = torpilleur <sup>7</sup> Dover = Douvres <sup>8</sup> leszáll = landen = atterrir <sup>9</sup> jelentőség = Bedeutung = importance



Carolus princeps Budae expugnator (pinxit J. Benzúr).



utebantur. Post bellum Blériot aëroplanorum construendi causa officinam<sup>10</sup> aedificavit et particeps aviaticae civilis Gallicae excolendae et propagandae haud ultimus erat. Annis proximis magis magisque removit se ab officiis publicis, sed famā nihilominus florebat. Vir fortissimus aëronauticae modernae toto mundo lugente quieti aeternae traditus est.

Magdalena Jóbóri.

<sup>10</sup> gyár = Fabrik = fabrique

### Fuga mea ex Transsilvania. (8)

Historia vera. Commentarios Victoris Maderspach Latine libere reddidit I. Guelmino.

Argumentum partium I—7. iam publicatarum.

Victor Maderspach hac in narratione describit, cur et quomodo patriam reliquerit. Post bellum gentium Rumani, quondam socii monarchiae Austro-Hungaricae, quamquam promiserunt fore, ut nationes minores, Hungari et Saxones in Transsilvania obsessa cives aequi iuris vivere possent, tamen permultos in vincula coniecerunt aut omnibus fortunis expoliatis expulerunt. Quod ut facere possent, magna vis delatorum falsis criminibus innocentes reos fecerunt. Victor Maderspach quoque possessor agrorum in Comitatu<sup>1</sup> Hunyad odio erat Valachis, cui igitur insidias parare non desinebant. Ut proditionis convinceretur, duo detectivi missi sunt affirmantes se quoque Hungaros esse, qui fratres liberandi causā in Transsilvaniam irruptionem molirentur, cuius coniurationis ut particeps esset, urgebant. Maderspach statim insidiis perspectis advenas abire iussit, quā in rixā cum herum sclopetulo<sup>2</sup> invaderent, fors ita tulit, ut alter sicariorum<sup>3</sup> necaretur, alter effugeret. Quare Maderspach quoque fugere statuit.

Nocte pluviosā sine vestimento apto cibariisque ad calcarium<sup>4</sup> contendit, ubi necessaria acciperet. Appropinquans ex fruticibus videt totam familiam a detectivis domo extrahi, calcibus peti<sup>5</sup> verberaque et obiurgationibus<sup>6</sup> obrui. Simul eum quoque duo canes detectivorum magno latratu tenent. Nil remansit aliud, quam ut plumbo<sup>7</sup> se defenderet. Detectivi non audebant armatum in silva persequi, qui nocte insequenti a probo quodam metallico Hungaro et aliunde rebus necessariis acceptis viam salutis intravit. Montivagus expertus colles niveos montis Retyezát ascendit et per multos casus multosque labores ulteriore parte descendit. Inobservatus pervenit ad amicum quandam, cuius auxilio usque ad oppidum Karánsebes, mox ad Lugos pervenit partim pedibus et currus vectus. Brevi iam in urbe Temesvár erat, unde cito proficiscendum ei erat Valachis omnia perscrutantibus<sup>8</sup> pretiumque sanguinis sibi omni modo comparare laborantibus. Ultimus vicus citra confinia supererat, Detta, ultra quem in obsessione Serviana vicus Bánlak iam spem salutis promisit. Quo cum aegerrime pervenisset, ecce a ductore perfido, velut speculator, in manus custodum Servianorum traditus est.

<sup>1</sup> megye = Komitat (= Landbezirk) = département  
<sup>2</sup> pisztoly = Pistole = pistolet  
<sup>3</sup> orgyilkos = Meuchel-

mörder = assassin <sup>4</sup> mészégető = Kalkbrenner = chaufournier <sup>5</sup> rugdos = mit den Füßen stossen = chaufournier <sup>6</sup> szidalom = Schelten = injures  
du pied <sup>7</sup> golyó = Kugel = balle <sup>8</sup> átkutat = durchforschen = fouiller

Interrogatus italiane respondeo: «Ego sum Rodolfo Passudesti» monstrans syngraphum. Custos nihil nisi sermonem<sup>28</sup> patrium<sup>28</sup> loquens, nihil intelligit. Citat autem alterum custodem nomine Marino, Dalmatam, linguae Italianae peritum. Et tum apparet me caementarium esse, et tendentem in vicum Bánlak ad furnum<sup>29</sup> exstruendum occurrisse huic Valacho, qui sine syngrapho sit in Servia et persuadere conari...

Ille autem tunc iam necubi erat. Aufugit sine peronibus. «Ecce autem — dixi — perones illius et quinquaginta denarios, quos illi debeo, si quando redierit, ut tradatis, precor.»

Ridentes acceperunt omnia et ego viam edoctus perveni in vicum, ubi a hospitibus Hungaris benigne exceptus sum. Stupentes<sup>30</sup> pendent<sup>31</sup> ori meo, <sup>31</sup> nequaquam intelligentes, quomodo tanta pericula superare potuerim.

— Nonne notum erat te ad vicum Banica morari? Quomodo canes novi, qui certe adducti erant, vestigia tua amiserunt?

— Ille, qui coelos inhabitat, pluviam misit mihi, ut diluerentur.<sup>32</sup>

— Et certe, quoniam prius exspectandum erat, dum custodes securitatis militesque convenirent, tibi tempus fugiendi datum est. Cur autem non eras circumsaeptus acie triplici armorum, ne perrepere posses?

— Quia me certe alicubi apud quandam Hungarum morari arbitrabantur. Hoc erat maxime verisimile. Per saltus nivosos vastitatemque silvarum <sup>33</sup> perrumpere super vires humanas esse videbatur illis.

— Quis dedit tibi hoc consilium vel illis istud?

— Certe inde datum est, unde omne bonum datur. Nescio autem, quomodo potuerint sine custode relinquere regionem Dealubabi?

— Ille dempsit,<sup>33</sup> a quo omne malum demittitur. Quid autem accidisset, nisi — quomodo nominatur iste serrarius, sic est: Martino — misericordiā motus te iuvisset? Et si ille, qui

<sup>28</sup> anyanyelv = Muttersprache = langue maternelle  
<sup>29</sup> kemence = Backofen = four <sup>30</sup> álmélkodva = verblüfft = ébahi <sup>31</sup> lesik szavaimat = aufmerksam zuhören = ils épiant mes paroles <sup>32</sup> elmos = verwischen = effacer <sup>33</sup> elvenni = abnehmen = écarter

in fenilibus<sup>34</sup> erat et de pretio sanguinis somnavit, suspicatus esset te esse advenam?

— Quid? Quid fit, si caput tuum fulmine ictus sit? Et tamen commeas et perficis omnia itinera tua, quia vita non in nostra, sed in illius potestate est, qui sine nobis terminat eam.

— Sane. Optime autem evenit tibi, ut eo tempore, dum silvas vicosque Valachi perscrutarentur, amicus tuus Zoltán ingentibus duobus saltibus<sup>35</sup> per oppida Lugos et Temesvár ad confinia pertulerit. Cum demum agnoverunt te ibi non esse, iam necubi eras.

— Hoc ita est. Ego autem amens paene me in manus persequentium dedi. Arcaria<sup>36</sup> me agnovit et quis scit, nonne sine peronibus et 50 denariis nunc in urbem Taurunum<sup>37</sup> ducendus sim. Et quis scit, nonne cras capiar, si animadverterint, quis sim? *Finis sequetur.*

<sup>34</sup> szénapadlás = Heuboden = fenil <sup>35</sup> ugrás = Sprung = saut <sup>36</sup> pénztárosnő = Kassierin = caissière <sup>37</sup> Belgrad = Belgrade

### Al. Petőfi: Exeunte Septembri.

Adhuc florescit vallis adhucque

Virescit pōpulus ante domum,  
Ast saevam hiemem illic nonne vides iam? —

En iam tegitur nive montis apex.<sup>1</sup>

In corde meo iuveni aestuat aestas,

Totum turgescit adhuc quoque ver,

Mi canities respersit at atram

Comam et caput album factum hieme est.

Flos decidit et vita aufugit; uxor,

Sede in gremium, mea cara, sede,

Caput quae nunc in pectore ponis,

Cras forte meum cadis in tumultum.

O dic mihi, si prior emoriar te,

Corpus tumulesne meum lacrimans,

Amor iuvenis te adducat alius,<sup>2</sup>

Relinquas nomen ut ipsa meum?

Velum viduae sin abiicis olim,

Busto<sup>3</sup> vexillum affige nigrum,

Escendam ego sursum nocte sepulcro

Et deferam eodem istud mediā,<sup>4</sup>

Detergeam ut et pro te lacrimas, quae

Fidi tibi tam es oblita brevi, et

Involvam ut cordis vulnera, qui te

Illic quoque, tunc quoque semper amat.

Ladislao Juhász interprete.

<sup>1</sup> cacumen <sup>2</sup> alterius <sup>3</sup> tumulo <sup>4</sup> nocte


### Hypatia.

(18.)

Scriptis Carolus Kingsley. Hungarice reddidit Arpadus Zsigány. Excerpsit atque in Latinum convertit: Valentinus Fehér.

Argumentum partis iam publicatae.

Initio saeculi V. p. Chr. n. in quodam monasterio<sup>1</sup> Aegyptiaco erat monachus adolescens, nomine Philammo, qui vitae solitariae pertaesus<sup>2</sup> Alexandriam ad Cyrillum episcopum proficisci et contra scelera pugnare constituit. Arsenio, educatore Philammonis suadente Pambo abbas<sup>3</sup> dimittit



Prospectus per portam pristinam fori Antoni Szebeny ad Danubium montemque S. Gerhardi.

iuvenem, qui in lintre remigans occurrit navi Gothorum, qui monachum ad se tollunt. Cum Gothi sunt aliquot puellae Graecae, in iis Pelagia, quae monacho videtur simillima. Philammo pervenit Alexandriam, ubi tum femina praeclarissima erat Hypatia, Theonis filia, quae Graecam philosophiam et deorum opinionem<sup>4</sup> paganis<sup>5</sup> adolescentibus tradebat. Orestes, praefectus Aegypti, amore Hypatiae captus, vidit Raphaëlem Aben-Ezram. Iudaeum adolescentem, qui narravit Heraclianum, praefectum Africae cupiditate imperii capiendi adductum seditione movisse. Hoc nuntio gaudebat Orestes, utpote qui dominus Aegypti fieri vellet, postea in matrimonium petit Hypatiam, quae auctore patre assensa est.

<sup>1</sup> kolostor = Kloster = couvent <sup>2</sup> megúnva = überdrüssig = dégoûté <sup>3</sup> apát = Abt = abbé <sup>4</sup> vkiben való hit = Glaube an = croyance en <sup>5</sup> pogány = der Heide = païen



Interea Philammo duce ianitore Hypatiae visit Cyrillum, qui variis eum negotiis onerat. Eadem nocte Iudaei turbas faciunt, sed consursu monachorum et plebis Christianae diffugiunt; in tumultu Philammo servit vitam cuiusdam mulieris Christianae, quam postea uxorem ianitoris Hypatiae esse cognovit. Tum Cyrillus decrevit altero die Iudaeos omnes urbe expellere. Postridie mane Raphaël iam expectatus erat, cum advenit Maria, Iudaea anus, venefica,<sup>6</sup> faulrix Raphaëlis et nuntiat Iudaeos a plebe vexari ac pelli e domibus.

Raphael Alexandriam relinquere et cum exercitu Heracliani in Italiam proficisci decrevit. Eodem die Cyrillus patriarcha Philammoni concessit, ut scholam frequentaret. Primo verba feminae Christianae religionem condemnantis ille quidem indignabundus audivit, tamen paulatim scholam Hypatiae aestimare coepit. Et quum in certamen cum Petro diacono venisset, vitam a monachis exasperatis servaturus aufugit et in domo Eudaemonis ianitoris hospitium invenit. Deinde a ianitore ad Theonem et Hypatiam productus est.

Cum Petrus diaconus Pambonem abbatem visisset ac memorasset Philammonem de recta via decessisse, Arsenius Alexandriam ire illumque servare constituit. Tum ipsum advenit, cum adolescentes e schola egrediebantur. Philammo laetus salutavit Arsenium, ex quo comperit se parvulum unā cum Pelagia Athenis ablatum esse, itaque fieri posse, ut ipse frater Pelagiae esset. Dum de his rebus loquuntur, Petrus cum monachis obviam veniens Philammonem apprehendere voluit; qui tamen disturbatis circumstantibus in domum Gothorum fugit. Gothi cum flagellis monachos diffuderunt.

<sup>6</sup> varázsló = Zauberin = enchanteresse

### III. Christiani, Iudaei, pagani.

Ianitor, postquam nuntium Arsenii Mariae attulit, exanimatus eo recurrit, ubi Arsenium et Philammonem reliquerat; sed cum eos non reperisset, usque ad seram noctem foris<sup>1</sup> ante aedes erravit. Cum adolescens tandem a Gothis liberatus advenisset, statim eum ad Mariam subduxit. Im vestibulo duae Syriae feminae eis obsistentes dixerunt aliquem esse apud Mariam neque quemquam sibi ad eam admittere licere. Réverā<sup>2</sup> viserat Mariam quidam Iudaeus adolescens, qui nuntiavit exercitum Heracliani penitus<sup>3</sup> ad Ostia deletum esse. Se unum esse, qui nuntium cladis afferret neque quemquam ante quindecim dies ventis adversis<sup>4</sup> esse venturum. «Optime, mi fili — ait Maria. — Nunc affer has binas litteras ad archirabbinum et bene conserva secretum,<sup>5</sup> quod nos duo novimus.» «Faciā, mater» — respondet iuvenis et acceptis litteris egreditur. Tum Philammo intronissus statim quaesivit ex anu, verane essent, quae Arsenius dixisset ipsaque Pelagiam adduxisset Alexandriam. Maria confirmavit vera esse verba

Arsenii, tamen dixit se clam singulis Calendis dedisse illi pecuniam, neque prius illum Pelagiam recuperaturum, quam sibi oboedivisset. Quod nisi fecisset, illum rursus in servitutem redactum iri. Philammo invitatus dixit se obtemperaturum.<sup>6</sup>

— Agedum — ait Maria, — operam<sup>7</sup> tuam Oresti locare<sup>7</sup> debes. Praefectus tibi gratus erit, quod vitam eius servasti. Cras mane ibis in domum praefecti et requires Ethanum Chaldaeum eique has litteras trades. Nunc vero abire licet.

Cum Philammo torpidus<sup>8</sup> ac titubans<sup>9</sup> e cubiculo egressus esset, anus cachinnavit: «Frustra expectabis, ut Pelagiam tibi restituum. Et tu, et Orestes estis in mea potestate et per vos corrumpam paganam illam puellam, quae meum nigrum achatem reddere recusat. Ac nemo novit cladem Heracliani».

At noverat aliquis. Nam eodem tempore, cum Iudaeus adolescens exitum pugnae cruentae<sup>10</sup> Ostiensis narrabat, monachus quidam robustus de eadem Cyrillo rettulit. «Haec est res magni momenti<sup>11</sup> — ait Cyrillus Arsenio, — Quid suades, pater, quid agam? Malim iam cras mane nuntium e rostris<sup>12</sup> enuntiare, ut omnes Christiani nobiscum gaudeant dedecore paganorum.»

— Satius<sup>13</sup> est — inquit Arsenius — nos in praesens tacere. Si Orestes réverā in animo habet restituere paganam religionem, expectemus, dum tale quid agat, quo praecipitur.<sup>14</sup>

Ad numerum proximum.

<sup>1</sup> kint = draussen = au dehors <sup>2</sup> valóban = wirklich = vraiment <sup>3</sup> teljesen = gänzlich = complètement <sup>4</sup> kedvezőtlen = ungünstig = défavorable <sup>5</sup> titok = Geheimnis = secret <sup>6</sup> engedelmesség = gehorchen = obéir <sup>7</sup> szolgálatába áll = sich als Diener verdingen = entrer au service de... <sup>8</sup> bódult = verblüfft = étourdi <sup>9</sup> tá-molyogva = taumelig = chancelant <sup>10</sup> véres = blutig = sanguinaire <sup>11</sup> jelentőségű = bedeutungsvoll = d'une grande importance <sup>12</sup> szószék = Kanzel = chaire <sup>13</sup> jobb = besser = mieux <sup>14</sup> romlásba dönt = ins Verderben stürzen = se précipiter dans la ruine

### Ephemerides periodicae.

Archivum Philologicum. Annus LX. 4—6. Apr.—Iun. 1936. Budapest. — Eug. Darkó: La couronne envoyée par Michel Ducas. — Iul. Moravcsik: Les inscriptions grecques de la Sainte Couronne hongroises. — Iul. Farkas: Die ungarische Literatur in Deutschland. — A. Szabó: Atlas. — Em. Madzsar:

Horaz in Ungarn. — Dorogi—Ortutay: Boethius und das ungarische Barock. — El. Schwartz: X statt ks. — *Recensiones*, etc.

Alma Roma. Ann. XXIII. Fasc. IV—VII. Apr.—Iul. 1926. Romae. — Antonelli: De ingenuis artibus in populum pervulgandis. — Al. Monti: Pomptinae paludes exsiccatæ (carmen). — S. Romani: De fontibus iuris Italici. — D. T.: Ios. Parrini. — Avenarius: Pagina Herderiana. — V. Genovesi: Hyle (carmen Hoenffiano praemio ornatum). — D. T.: Ars tragica apud Sophoclem et Shaksperium. — Ad renovandum latinae linguae usum. — S. S.: De crucis et capitis poena Christianis irrogata. — I. A. Costaggini: Carmina—Ioannes Ruskin. — P. d. V.: De diversis animalium vocibus. — Waldschmidt: De causa morborum. — Romanus: De corporationibus. — An. Trazzi: Ad Horatium. (Carmen). — Ss. mi D. N. Pii PP. XI. epistola encyclica de cinematographis spectaculis. — Colloquia Latina. — Annales. — Varia. — Iocosa. — Escarum ordo. — Aenigmata. — I. Collin. — V. Fehér: Regulus (actio dramatica).

Societas Latinae. Ann. IV. Fasc. 2. Mai. 1936. Monachii. — Andr. Avenarius: Ad renovandum Latinae linguae usum. — G. Lurz: Sprachliche Verständigung im internationalen Verkehr. — Annotationes criticae ad vocabularium. — Aug. Potucek: Übersetzungsproben. — Lud. Hecker: Carmina Latine et Italice. — Periodicorum conspectus. — De rei Latinae in Italia statu.

Libri dono accepti proxime recensebuntur.

### Dicta quorundam morientium suprema. I.

1. Ut ab illo viro, qui ab epistolis erat<sup>1</sup> Georgio V.-o regi Britanniae nuperrime mortuo, nuntiatur, haec erant verba regis suprema: «Quo loco sunt res imperii?» Rex ergo finem vitae suae appropinquare sentiens etiam extremis ante mortem momentis omnes suas ad eam rem contulit cogitationes, quae semper sibi maxime cordi erat — i. e. salus imperii.

2. Eadem fere, cum iam animam ageret,<sup>2</sup> agitabat in mente Iosephus Franciscus imperator Austriae rexque Hungariae dicens: «Excitate<sup>3</sup> me — quaeso — horā quartā e somno,<sup>3</sup> nondum enim sum negotia mea exsecutus».

3. Sed fere pulcherrima omnium quae unquam princeps quilibet dixerit, verborum sunt Friderici Danicus extremum iam vitae spiritum edituri:<sup>4</sup> «Nullā unquam sanguinis hausti guttā sunt meae contaminatae manus.»

4. Certe admirationem nobis movent haec, quae Nelson, praefectus<sup>5</sup> ille classis<sup>5</sup> vere praeclarissimus, dixit animam efflaturus: «Officium meum — grates ago Deo — exsecutus sum». Quibus verbis Nelson tamquam respondit ad ea, quibus ante pugnam ad Trafalgar milites ad virtutem excitaverat, verba: «Britannia ab omnibus expectat militibus, ut suo quisque officio satisfaciatur».<sup>6</sup>

5. Guilelmus Oraniensis, cum extremum vitae tempus haud longe abesse sentiret, ad amicum quendam suum se convertens dixit: «Sine ullā sollicitudine moriar.»

6. Napeolenti I. imperatori illi Franco-gallorum praeclarissimo, qui laudibus etiam nunc fere ad coelum fertur, extremis ante mortem momentis omnia, quae unquam fecerat, ante oculos versabantur. Haec erant verba eius suprema: «O mi Deus! O natio Franco-gallica! O caput et dux exercitus!»

7. Haud eximiā Germanos ornant laude verba Friderici, qui Magnus est nuncupatus, regis, suprema: «Fatigatus sum — inquit — fatigatus sum in servis regendis. Quando haec vita miserrima cursum suum conficiet?!»

8. Ludovicus XIII. rex quondam Franco-galliae de vita migraturus viribus eum iam deficientibus nepotem suum, regni heredem,<sup>7</sup> qui forte aderat, cognoscere non potuit. Interrogavit ergo eum, quis esset. «Ludovicus XIV.» — respondit regni heres promptissime. «Nondum, nondum» — gemuit rex et conversus illico efflavit animam.

9. Richelius, pater ille purpurā ornatus,<sup>8</sup> qui de patria sua optime merebatur, moriens haec dixit: «Impiorum me afficias, mi Deus, suppliciiis, si quid aliud unquam me ad quidquam movit agendum, nisi ipsa necessitas, quā ut regi patriaeque servirem, coactus sum.»

10. Cum Bluecher summus ille dux, qui immortalitatem certe consecutus est, mox se moriturum esse sentiret, Nostizium, commilitonem<sup>9</sup> quendam suum aetate iam provecum

<sup>1</sup> magántitkár = Privatsekretär = secrétaire personnel <sup>2</sup> haldokol = im Sterben liegen = agoniser <sup>3</sup> felkelt = aufwecken = réveiller <sup>4</sup> lelket kiadja = die Seele ausgeben = rendre son âme <sup>5</sup> tengernagy = Admiral = amiral <sup>6</sup> kötelességét teljesíti = seine Pflicht tun = remplir son devoir <sup>7</sup> trónörökös = Thronerbe = dauphin <sup>8</sup> biboros = Kardinal = cardinal <sup>9</sup> bajtárs = Kriegskamerad = camarade



ad se vocavit et dixit: «Optime mi Nostizi, nonnulla a me didicisti, nunc tibi, quomodo sit aequo animo moriendum, discendum esse videtur.»

11. Etiam Michaël Ney ita, ut miles vere fortissimus de vita migravit. Cum enim coram hoc praeclarissimo Napoleonis quondam duce iudicium, quo capitis damnatus est, recitatum omnesque tituli atque insignia, quibus unquam decoratus erat, allata essent, ridens dixit: «Ex his titulis, insignibus ac Michaële Ney mox nihil, nisi parvulus pulveris acervus relinquetur.»

(Ad proximum numerum.) Vincentius Gombár.



Solutiones aenigmatum numeri X.

1. Semper idem, sed aliter.
2. Et semel emissum volat irrevocabile verbum.
3. Pompeius.
4. Domus (dies, otio, manu, urus, spes).

Aenigmata recte dissolverunt: Anna Mayer, Ioannes Glancz, Otto Schultz, Ladislaus Wagner, Helena Szabó, Ioannes Wolkóber.

Praemium sorte Joanni Glancz obvenit.

1. Syllabae, quae desunt, proverbium notissimum dant.

- |           |           |
|-----------|-----------|
| .. xilium | ... yphus |
| .. bigo   | . trium   |
| .. pio    | .. les    |
| .. rus    | .. rthago |

Elisabetha Fikár disc. Kaposvárensis.

2. Dissolvendum ad saltum equulei.

D	p	t	a	l	r	a
r	e	u	r	d	p	r
t	e	u	c	t	c	i
m	o	s	e	o	e	o

Lad. Javorik disc. Tatanus.

Budapestini, ex officina consortii Stephanei. — Negotiorum curator: Fr. Kohl iun.

3. Crucigramma.



ad libram:

1. Quid in Ulixe celebratur?
4. Quid saepe a te declinatur?
5. Quo membro cuncta fere facio.

ad perpendiculum:


1. Quid tu libenter accipis?
2. Quid gratum est in tenebris?
3. Qui talis est, non eget medico.

Otto Schmied Vindobonensis.

4.

Puella parva interrogata, quot annos nata esset, respondit: «Mater triplicem numerum annorum meorum habet, pater X annis maior natu est quam mater. Nos tres una octoginta annos habemus. Quot annos erat puella parva?»

Guilelmus Fieber Vindobonensis.



«Juventus» praecipue ab iis professoribus sustentatur, cuius discipuli ephemeridem nostram ceteratim legunt. Quae cum ita sint, omnem fere materiam a fautoribus lectoribusque scribi quis miretur? Nihilominus parcissime accidit, ut opuscula etiam eorum, qui non subnotatores sint, publicentur. Quare omnes, qui materiam ephemeridis accessionibus augere volunt, ne frustra laborent, moderatorem de argumento eligendo consulendum esse putent. — *Guil. Fieber* Vindobonensis. Ephemeride nostrā Te contentum esse gaudio est mihi. Quam spero fore, ut etiam discipulis Tuis placeat. — *M. Palyusik* et *I. Kojnok*. Epistola vestra gaudio me affecit. Urbanitatem vestram laudo. — *M. Szluha*. Narratiunculis tuis proxime iam utar. — *Iosephus Tóth* (Szeged, Vásárhelyi-út 73.) librum suum, qui inscribitur «Tributa familias custodientia» (= Család védelem és adózás) rogantibus gratuito transmittit. — *Lad. Miháicsik*. Noli ipse fabulam componere. Haec quam scripsisti, maxime puerilis, ne dicam infantilis et perlonga est. Mox mittam aliquid pulchrius Latine reddendum. — Ceteris proxime respondebo.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiszkolai Tanáregyesület költségén. (Praeses: DR. IOANNES KISPARTI, elnök.)



LATIN IFJÚSÁGI FOLYÓIRAT. LATEINISCHE JUGENDZEITSCHRIFT. REVUE LATINE DE LA JEUNESSE.

Administrator, ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel: 1-422-15).

Moderator, ad quem manuscripta mittantur: I. WAGNER DR. Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 2-686-34).

Prodit Budapestini quotannis decies. Pretium subnotationis an. 1936—37. in Hungaria 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Gyus aerarii comparsorum postalis in Hungaria: 57.292, in Austria: A—37.880. Subnotatores earum gentium, unde simplex pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur.

Iulius e nobilibus Gömbös de Jákfa.

1886—1936.

Immatura mors Iulium Gömbös primum ministrorum Hungariae eripuit. Nemo est, quin luceat virum patriae amantissimum, qui morbo insanabili, nephrosclerosi<sup>1</sup> malignae succubuit, quamquam clarissimi medicorum nihil

praetermiserunt, quin aegrotum a morte servarent. Monaci, ubi Gömbös animam in sanatorio exspiravit, etiam Hitler dux Germaniae

<sup>1</sup> vesezsugorodás = Nierenschumpfung = néphrosclérose

